

rurgis manuales curandarum fracturarum operationes. Quod si id ex iuramento Hippocratico, quo cauetur, ne quis Medicorum λιθιῶντας, calculo laborantes fecet, quanto verius & pharmacorum structura eiusdem maiestatem dedecuisse existimemus, seruilem magis, homineque ingenuo minimè dignam: ut eam Auenzoar, exemplo patris sui Zoar defugerit. Subinde, plura magisque seriae incumbunt Medico, ut otiosi haud sinant hominem, naturali rerum omnium commentatione, & diuersarum affectionum myriade singulis ferè momentis distractum. Partiantur ergo plusquam necessarias operationum vices. Praesideat Medicus, singulaque diligenti meditatione dispenset. Pharmacopœus iussa exequatur, & mechanicum opus ad nutum praescriptumque Medici sollicitè producat. Quòd si iam tertio mente voluimus medicam διαημοσύνην, illius certè decori vulcaniæ sordes minimè quadrabunt. His accedit grauissimus Medicorum iam inde à multis annis consensus: quos pudisset medicamentorum sordibus & immunditie manus infecisse: qui